

Dissertatio medica inauguralis de motus voluntarii usu medico ... / [Johann Docho].

Contributors

Docho, Johann.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Chr. Henckelii, [1708]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/b5g7fksc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
MOTUS VOLUN-
TARII USU MEDICO,

Quam

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,

*DN. PATRONI AC PRÆCEPTORIS SUI OMNI OBSERVANTIÆ
CULTU PROSEQUENDI,*

PRO LICENTIA

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privilegia
DOCTORALIA rite ac legitime capeffendi,

d. April. A. MDCCVIII. horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publicæ Eruditorum Disquisitioni sistet

JOHANNES DOCHO,

TEMPLIN. UCARO-MARCH.

DISSERTATIO MEDICA IN AUREA

DE

COLLEGIIS VOLUNTARIIS

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA

SCRIPTA

AB ANTONIO M. LAMMICHIO

PHYSICO ET CHIRURGO

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

ACADEMIAE FRIEDERICIANAE

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA

SCRIPTA

AB ANTONIO M. LAMMICHIO

PHYSICO ET CHIRURGO

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

ACADEMIAE FRIEDERICIANAE

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA

SCRIPTA

AB ANTONIO M. LAMMICHIO

PHYSICO ET CHIRURGO

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

ACADEMIAE FRIEDERICIANAE

IN ACADEMIA FRIEDERICIANA

SCRIPTA

AB ANTONIO M. LAMMICHIO

PHYSICO ET CHIRURGO

PHYSICAE ET CHIRURGICAE

ACADEMIAE FRIEDERICIANAE



PROOEMIUM.



Vi Indolem Organorum secundum veritatis simplicitatem intelligunt, habent utique perspectum, quod omnis actus, quo INSTRUMENTUM ultimam sui formalitatem assequitur, ut videlicet ad

aliquem utrum adhibeatur, instrumento sit extrinsecus; nempe, ut loquuntur scholæ, non solum ab alia causa, sed nominatim à superiore, in ipsum instrumentum introductus. Unde, quicquid etiam de artificiosis imitationibus diuturnorum motuum, v. g. in horologiis totos annos recte procedentibus, dicatur, est tamen satis intellectui obvium, quod imprimis necessaria semper nova directio, non nisi actuali motu pariter præstanda, præcipuum in hoc negotio sit veluti fundamentum, sine quo, si vel maxime, in robusta atque firma reliqua machina, motus rectissime procederet, tamen usus, ut verum instrumentalitatis formale, horarum inquam monstrandarum certa *angustia* statim omnino interiret, nisi tam repetito frequentiore

actu, quam imprimis perpetuo quasi vigili inspiciendi, & ad errores forte obrepentes attendendi studio, conveniens illa nova motoria directio, huic negotio revera præesset, adeoque vere, uti vulgo loquimur Animam hujus actionis constitueret. Jam vero si non solum Organum aliquod multis modis fragile compareat; sed etiam per ingentem multitudinem entium, figillatim etiam denuo valde fragilium, imo etiam per detrimenta, ab ipsis sui Usibus velut indies suscipienda, passim, & facillime quidem violari possit: Ante omnia autem innumeris alienis, imo vero contrariis motibus, ita expositum sit, ut sæpe, multum, & adhuc insuper facile, non solum ita in sua substantia atque textura lædi possit, sed etiam alienis motibus ita prompte inflecti & inverti: Est certe omni distinctæ considerationi vix non contrarium, quod hujusmodi Indolis Organum, citra veræ superioris, non tam solum dirigentis, quam etiam simpliciter regentis causæ auxilium, organicam suam efficaciam vere prosequi & tueri possit. Certe, si ipsum corpus animale, imò humanum, intueamur, & circumstantias ejus, citra generalissimos intricatos conceptus, potius secundum specialissimam sui constitutionem, vere in ipsos sensus incurrentem, æstimemus, longe statim aberit omnis verisimilitudo de hujusmodi, ut loquuntur, indita corpori organico, absoluti seu spontanei motus potentia. Ut enim de sensibus taceamus, qui manifesto judicantis cujusdam agentis *ἐνεργεία* simpliciter absolvuntur; Certe quod Motus Vitales, & eorum principem, sanguinis circulatorium attinet, si quocunque tandem considerandi modo primum ejus elaterem, ipsum Cor

consideremus, vix quisquam puto circumspectiorum hominum fuerit, qui asseveret, quod Cordi vere immanenter infitus fit proprius talis motus, quo tamen non suum solum universum officium absolvit, sed etiam toti reliquo corpori vitium præstat, vere supremæ non utilitatis magis atque dignitatis, quam absolutissimæ necessitatis nomine. Cum enim cor, alio quocunque tandem respectu ne uno quidem, quidquam prærogativæ habeat præ aliis quibuscunque musculis; qui tamen etiam ab omnibus, simpliciter voluntariæ actionis, aut ad minimum directionis Energiæ subjecti esse agnoscuntur: non potest ita aliter fieri, neque fit vero etiam communiter, quin principium quod cor ipsum actuet seu moveat, hinc supponatur aliunde in ipsum Cor, ut ajunt, influens, adeoque hanc actionem motus in illo perficiens. Sicut autem ante oculos mox deinde sunt tres illæ difficultates; (1) qualem ergo concipiendum videatur hujus agentis ingenium, ortu, statu & actu; (2) quomodo hoc, quo respectu, uti certe maxime in ipso sui actu, tam profunde & obnoxie subjectum sit, animæ etiam temerè fingentis & voluntate aberrantis, præsentissimæ atque maximæ potestati: imo vero (3) cui ultimo, unico, & vere supremo fini & usui (nempe animæ rationalis voluntariè moventis, sensu judicantis,) non solum totum, sed & si res sine ullo præjudicio perpendatur, simpliciter, destinatum: His autem considerationibus porro jungatur indoles ipsius animæ, ut entis simpliciter activi; Indoles actionis in genere, imo rationis in specie, cum ipso Motus genio, generice, & respectively specificè, coincidentium: puto satis ita dilucescere posse, quid

ſentiendum ſit de Energia Animæ ad motum corpori præſtandum & regendum: & an ipſa potius vera haberi poſſit ejus efficiens cauſa; an vero demum alio opus ſit, diſtincto & directo motus principio, quod corpus actuet, & non ſolum in illos ſumme neceſſarios Uſus animæ, ſed etiam vel plane abſolute, & citra directum talem ſcopum, non ſolum vivum præſtet, ſed etiam plane ſenſuum vere gratuitum Mimimum in illo agitet. Non fert noſtrum propoſitum nec etiam temporis opportunitas, ut de hac re prolixius agamus, quam potius quorumlibet, modo idoneis ſubſidiis intelligendi inſtructo, judicio facile relinquimus, ſolam inhabilitatem colligendi & intelligendi abſtinere monentes: Placet autem unum tantum ex hac catena veritatis articulum noſtræ tractationi deſumere, nempe actum, regulariter & proprie ſimpliciter à Voluntatis arbitrio pendentem: interim etiam ad veram, abſolutam, perfectam bonam ſubſiſtentiam totius corporis ita neceſſarium, ut illo minime carere poſſit, ſine certo ſui damno, Oeconomia animalis, niſi quam maxime ſimpliciter rationalibus atque voluntariis, imo prudentiſſime inſtruendis, conſiliis & auxiliis, privative & poſitive ſuppleatur, quod hujus actus neglectu corpori decedit, & in verum ejus detrimentum magis magisque ſonticum, efficaciter cedit. Nempe, cum INAUGURALE SPECIMEN edere nunc mihi incumbat, viſum eſt dignum huic ſcopo Thema, de MOTUS VOLUNTARII USU MEDICO: Cujus deductio-
ne etiam Univerſo negotio motuum vitalium, eorumque nexui etiam cum animalibus, paſſim aliquid lucis affundi poſſe arbitramur.

Faxit autem divina Clementia, ut tam speciali nostro scopo specimen doctrinae perceptae edendi, quam generaliore, tam utilem in Theoria & Praxi materiam, secundum Veritatis solidum fundamentum explicandi, fausto successu potiamur.

I.

MOTUS *membrorum*, imò totius una corporis, LOCALIS, uti vulgò, nempe à verè *sibi constante* Oeconomiae Vitalis & Animalis integritate, VOLUNTARII titulo notatur; ita est certè ejus reciproca *conspiratio*, cum *involuntariis, vitalibus* motibus, multis modis & scitu & consideratione dignissima. Vocis quidem LOCALIS, in nostro negotio minima omnium esse potest ambiguitas; utpote ubi non tam de *diversitate* motus *subtilissimorum* corpusculorum *localis*, à *situ*ali, nobis in mentem venit verba facere: (sed illud potius Physicis recte intelligendum commendamus, ne indigesta fortè illa formula, *omnis motus est localis*, sensibilibioribus fastidium moveat:) sed loquimur revera crassiore modo, de motus tali ratione, qua *crassae* corporis portiones, *locum* suum omnino variis modis *alterant*, imò juxta regularem totius corporis *situm*, etiam reverà in totum *mutant*.

II.

Neque vero etiam nunc nostrum fert propositum, ita de universo complexu *omnis* motus *localis*, qui in corpore contingit, tractationem instituere; directe nempe atque positivè. Alias enim necessario utique agendum nobis esset etiam de motu *progressivo* sanguinae massae, & seorsim passim *descendentium* particularium humorum: imo etiam solidescentium faecum propulsione. Sed fert intentio nostra de solo potius *Voluntario* solidarum partium Motu dispicere veluti *positivè*: Ubi deinde *consecutivè*, quantum satis est, utique non poterit

poterimus præterire etiam *humorum, involuntarii*, localis progressus, & variorum eius effectuum atque eventuum, ab illo primo Impulſu ita dependentium, pari ſucceſſiva alteratione, mentionem.

III.

Imò vero, cum habitus *motus localis voluntarii*, ſi inevitabilem ejus, & certè immediatam etiam penitùs, confeſſionem atque connexionem attendamus, noſtro imprimis *Medico* contemplandi modo, non poſſit ſeparari ab hac eadem in *humores* corporis, per hunc eorum *progreſſum* ita variantem, Energia; Erit certe etiam neceſſe, hujus ipſius, *humorum dico progreſſivi* motus, negotium, ita paſſim in ſubſidium adhibere, ut omninò etiam ex illius veris *reſpectibus & conditionibus*, aditus tanto planior pateat, ad ipſam etiam, utique ad *reciprocòs* tales uſus tendentem, methodum, luculentius evolvendam.

IV.

Tantò magis autem poſtulabit ipſa à nobis *methodi*, ut loquuntur neceſſitas, ut harum etiam circumſtantiarum *Localis* motus ipſius ſanguinis, decentem rationem habeamus; cum hîc reverà ſe habeat ut ipſe *ſinis* directus *voluntarii* motus *Medicè* conſiderati. Sicut enim *Phyſica* contemplatio corporis, motui Locali *voluntario* etiam meritò aſſignat uſum peculiarem, ad *ſenſus* exercitium, decenter, & imprimis commodè, præſtandum: *Voluntatis* autem executionem variè perpetrandam: Ita, cum *Medici*, cum Theoria *ſenſuum* æquè, atque *motuum Voluntariorum* quatenus ſimpliciter tales ſunt, nihil habeant commercii, imò nihil in illos *potestatis*: Manet utique reſidua ſola illa Theoria, qua ut efficaciam in *progreſſus humorum*, ita etiam *Uſum Medicum* pro juſtâ illorum *directione* præſcribenda, offerunt & admittunt.

V.

Quod autem attinet ad abſolutam magis *Motus* hujus conſiderationem, eſſet in illa perpendenda ratio *ſtructure directæ*

directè ad motum; & reciprocè, ratio Energie motus ad ipsam structuram, ut vulgo loquuntur, receptivitatem. Sed cum illa consideratio *Medico* scopo minus quadret aut satisfaciat; imò si res verè uti sunt, eloqui velimus, etiam absolutè irriti sint omnes in hoc genere conatus, & in sola inania vocabula, *influxus Spirituum, cavitatis fibrarum, inflationis earundem (tam præsentissimæ, & tam copiosæ, ut pro fortibus motibus, & amplis, ex hypothesi, distensionibus requireretur, per nervos præstandæ)* exeant: Satis nobis erit, illam motus localis *instrumentorum, musculorum, peculiarem rationem ad ipsum motum, contemplari, qua ille manifestissimè alterat habitum harum partium ad humores: Sicut etiam habitum humorum ad has partes, rectè intelligere necessarium utique erit, pro solidâ Energia Motus hujus in humores, verè percipiendâ.*

V I.

Ita quidem consideranda venit ante omnia, non sola in genere *flexibilitas* musculorum, tanquam verorum instrumentorum, & respectivè etiam subjectorum, hujus Motus; Sed imprimis circumstantia illa, quæ ipsam etiam *flexilitatem*, ut totius musculi, egregiè sustentat, nempe *porositas*: Quæ cum non ab omnibus æqualiter, verò & reali conceptu, uti sine fictione, aut certè sine *λεπτολογία*, existit, rectè intelligatur, etiam necesse est aliquid de eâ monere; Cum nempe vulgaris conceptus de *porositate corporum Aristotelica*, huic negotio præjudicium aliquod objiciat, tantum certè, ut in re etiam verè *mechanica*, solidus intellectus potius eludatur, & quasi simpliciter *ἀμύχαν* reddatur: Nempè per illam confusionem *aggregatorum* simplicius, cum intimiùs unitis, mixtione aut compositione, paucis, & longè minimis, particulis; Cum uno loco vera *interstitia, ampliora, & quantumlibet capacia* foraminula: altero nuda, exquisita interim, firma, & physice subtilissima *linea commissuræ*, sub tali acceptione intelligenda veniat: Quam rem non improbabile est, ab antiquioribus distinctius indicatam, ipsum demum Aristotelem corrupisse

atque confudisse, ex irrationali illa sua *divisione corporum in infinitum*, nempe secundum *puncta & lineas physicas*, per *lineas mathematicas*, quarum tamen omnes Myriades nullam latitudinem inferant, adeoque nec illam ullo modo afficiant.

VII.

Consistit itaque *porositas* horum generum & hujus acceptionis, simpliciter in tali *capacitate interstitiorum & meatuum*, ut per illos non tam *imaginariae* quaecunque substantiae, sed verae non solum, verum etiam diversa consistentia ita conspicuae, transire possint, ut etiam veram, & sine omni tropo talem, quin potius notabilem passim, *capacitatem* postulent, meatuum, per quos procedere debeant. Talis autem *porositas* prognascitur utique è *fibrarum*, è quibus muscoli constant, mutuis *interstitiis*, quae ex illarum equidem arctâ *juxtapositione*, seu *contiguitate*, sed non tamen plena *continuitate*, remanent: Adeoque in medio *situ* musculi, inprimis autem *media tensione* fibrarum, liberiora atque *laxiora*: ab *intensione* tensionis, adeoque fibrarum rigidiores inter se mutuo *appressione*, ita arctantur atque densantur, ut *capacitate* sui summoperè restricta, transitui alicujus paulò *spissioris*, aut *copiosioris* materiae, necessariò ita plurimum detrahat. Unde quidem secundum hunc respectum, considerata utique maxime venit specialissima illa *alternatio*, quae non tam *singulariter*, sub *Motu*, sed revera *pluraliter*, sub *Motibus*, nempe repetitis, sese exferit. Ubi videlicet, ut in genere *repetitio* *Motus*, directè infert *alternationem* quietis, seu *remissioris* gradus movendi: Ita in specie, in nostro subjecto infert utique per fibrarum *alternam tensionem & relaxationem*, etiam *interstitiorum, stricturam*, aut *ampliationem* alternam.

VIII.

Haec, inquam, habitudo partium, *motui Locali* immediatè parentium & fervientium, facit inprimis ad nostrae, imò unice *realis* considerationis, scopum; Quod nimirum mo-

tu *locali*, fibroso-porosarum partium *interstitia* inter fibram & fibram, (& adhuc tenuiores *fibrillas*, quæ veras musculosas inter se mutuò, quomodocunque nectunt) actu ipso motus, *intendentis* quidem, arctentur atque *stringantur*: *remissionis* autem tempore, *relaxentur* atque remittantur: Imò vero, quod in hoc negotio nequaquam postremum est, etiam fibræ hæ ipsæ, actu illo Motus *rigidè-tensæ* & quasi *duræ* redditæ, *remissione* illa iterum languescant atque flaccescant. Adeoque non solum simplici respectu *capacitatis*, sed etiam diversa *Energia pressiois* & impulsus, differentem ita *efficaciam* exercent in materias, quæcunque ad hos meatus aliquam relationem habent, & ab his talium motuum mutationibus, *impressionem* aliquam suscipere possunt.

IX.

Ita verò habent se omninò hæ *solidæ* partes mobiles, ad ipsos *humores*; ut nempe illos non solum transmittant, seu *passivo* & veluti *neutro* modo, saltem *concedant* iisdem transitum; ad quem nempe humores illi, tanquam solum *indifferenter* se habere, intelligi possent, & tanquam ita solum *trans-euntes*, quia *viam patentem* offendunt aut inveniunt: sed reverà *debeant*, & humores illac *transpelli*, & sui quoque transitu, ipsis utique his *fibrosis* partibus exquisitissimum *subsidi-um* præstare, ut illæ perpetuâ blandâ humectatione *molles*, & eo ipso decenter *flexiles* maneant: Sicuti reciprocè partes hæ, ipsis humoribus etiam perpetuam *conquassatoriam* *attenuationem* talem omninò præbent, ut in *actu fluiditatis* conserventur: cum citrà talem perpetuam agitationem, verè *divulsoriam*, ad *concretionem congelascentem* prompti existant.

X.

Nempe è verâ solidâ *Organico Mechanica* Physiologia, omni modo rectè intelligenda venit peculiaris illa *proportio*, imò singularis planè *relatio*, *consistentiæ* sanguinis, & *mucosioris* partis etiam excrementii feri, ad *motus* illos, per has fibro-

fo-porofas partes *transprefforios*. Ubi videlicet *tres* sunt effectus, qui *sanguini* maximè, tum etiam *massæ* sanguinæ, è diversis humoribus *confuse*, eveniunt à *transitu* illo, feu *transpreffione* per has ipsas partes. Sunt autem hi effectus, (1) *Conquassatoria* illa, sanguinis, ex propriâ sua indole ad *spiffescendum* proni, *attenuatio*, qualis v. g. à transpulsi-
 one tum *sanguinis* coagulascntis, tum *albuminis ovorum*, per simplicem *spongiam* marinam, evenire solet: per modum simplicis talis veluti *divulsionis*. (2) *Incalescentia* sanguinis; non tam simpliciter in se, præcipuam considerationem promerens, quam intuitu maximè illo, quod utique ita veluti manifestum testimonium perhibeat, de *subtilissimo* actu veræ *intestinae* talis *commotionis*: quæ de subtilitate omninò eximia hoc ipso testans, tantò luculentiorẽ reddat *Energiam attenuatorie Concussionis*. (3) quod propriè hic ipse tam vegetus *transitus* per hæc loca *poroso-rigida*, etiam ipsi intimæ *contritioni*, & contritorie *dissolutioni*, quàm vulgo *colliquatoriam* vocant, sanguinis, quamplurimum velificetur. Cum enim ille ita *resolutorius* effectus, omninò ortum suum trahat ab ipsa *intestini motus* vehementiâ; *Intestinus* autem hic motus sanguini eminentissimè eveniat in *transpulsione* illa per *solidarum* partium *poros*: (ipsius *caloris* ab hoc maxime motu sanguini evenientis, documento,) Dilucescit inde liquidò utique, quod ita ipse etiam eventus *colliquatorie dissolutionis* sanguinis, tanquam *intestini* hujus, & tantò magis quidem quanto *fortioris*, motus, confectarium, eminenter ab hoc maximè per partes *solidas transpulso* motu dependeat.

XI

Ex his itaque sic consideratis, tam *motus* partium *solidarum*, quàm talis, circumstantiis; quam habitu ejus ad partes *fluidas*; & *reciprocè*, fluidarum ad hunc motum: proclivis est intellectui, citrà ullorum præjudiciorum vanorum offendicula, simplicissimè progredienti, agnitio totius *Usus*
 hujus

hujus motus *Medici*: quem tamen antequàm *in genere & specie* in lucem protrahamus, placet adhuc verbum dicere de Consideratione hujus motus, quatenus VOLUNTARIUS est. Nempè adeò certè è verè peritâ (nempè simplicium rationalium subsumtionum compote) comparatione, undique dilucescit magnum illud, ut loquuntur, *interesse animæ, volendi* compotis, in totius *Vitalis* negotii summa, ut etiam hæc circumstantia *Energie voluntarii* motus ad *vitales* necessitudines, in suo loco luculentum hujus rei testimonium perhibeat. Cum enim, uti mox videbimus, motus hi *Voluntarii*, ad absolutè *sanam*, & verè omnibus numeris absolutam, corporis constitutionem, præstandam atque conservandam, non tam solum simpliciter *utiles* existant, quam verè & positivè *necessarii*: facilè certè hinc est colligere, quomodo implicita hinc sit ipsa *volens* etiam *anima*, ad *præstandas* suas operationes, pro *vitalis* negotii verè *perfectione*. Quamvis enim nequaquam ea usquam sit nostra, & imprimis D. D. Præsidis, intentio, ut *simpliciter* de hac re, *quod vera sit, & quia vera sit*, prolixè verba facere in animo habeamus: Undè etiam in *Medico* foro, profectò omninò ridiculæ sunt, & à *Medico* sensu revera abstractæ, quotidianæ *repetitiones* quæstionis illius, *an* utique *anima capax* haberi possit ad *suscitandum, præstandum, & in corporeas partes immittendum, motum?* (ubi etiam me certè *Præsidem*, pudet subinde illarum dubitationum, quæ, è fundamentis per se vanis & *nulla* insuper *connexione*, amplius *irritis*, & directas *Principii petitiones* inferentibus, *ruunt* magis quam *fluunt*,) Ita habet tamen utique consideratio hæc illum verum solidum, imo præcipuum, & eximium *Usum*, ut illud ad minimum intelligatur, & pro firmo, ut omninò est, *Physiologiae* atque *Pathologiae* fundamento habeatur, quod tales *actus & motus*, sint omninò *rationalibiles*: nempè *debiti, utiles*, imò passim *necessarii*: qui ab illa *contraria* opinione, partim ut *indifferentes*, merè *fortuiti*

tuiti, & nullum directum *respectum* nedum *nexum* realem cum *rationalibus scopis* habere, gratis ita supponuntur: quin etiam multis locis directè pro *malis effectibus* ipsorum *morborum* damnantur. Cum manifestaria ita *confusione*, imò verò *inversione* plena *Therapeuticæ* considerationis atque debitæ *directionis*; quæ hâc ratione potius seducitur ad *opugnanda illa motuum genera*, quæ juxtâ peritiorum de illis intellectum, *facilitare* & ad feliciorum progressum illis omnino *subvenire*, debuisset. Quæ certè ita summè *fontica* & planè dignissima, *differentiæ* harum rerum consideratio, efficit, ut illas verè uti sunt, indicare atque tractare, & *animæ interesse* in illis passim *nominare*, necessarium ducamus.

XII.

Est itaque omninò ipse *Voluntarius Motus*, *Voluntatis* inquam, non magis *obsequio* aliquo, quàm potius *rationali promptitudine* & *instituto*, suscipiendus atque perpetrandus, si *Oeconomia Vitalis*, verè uti *convenit*, nedum uti *expedit*, *integra* & *perfecta* vigere & constare debet. Unde si *Voluntas* huic suo officio desit, *otio*, *Socordia*, *pigræ* intenta; cæteris tamen interim tantisper quam maxime adhuc exquisitè secundùm naturam constitutis, imprimis *appetitu* alacri, & *concoctione* atque *digestione* adhuc illibata: Nascitur inde inevitabiliter, *irregularis* harmoniæ actionum corporis *Vitalium* progressus, & subnascuntur certissimè sensim sensimque *impedimenta*, & per occasionales incidentes causas etiam *incitamenta* varia: quæ, si vel moderatissime progrediantur, tamen sensibiles *ἀταξίας* pariunt: Sin autem intemperantius & impetuosius ingruant, etiam præsentiores *peiores*, imò vel præcipites *peffimos* effectus, post sese trahant.

XIII.

Adeò, inquam, hujus *Voluntarii Motus* concursus opus est, ut non solum sine illo, *Natura* sibi relicta, per *simplices* suos *vitales involuntarios* motuum ordines, nequaquam

quam toti suæ Oeconomix sufficienter consulat, *positivè & à priori*: sed etiam tantò minus his ipsis sibi sufficere possit, ad *privativas* quasdam intentiones, nempe *à posteriori superandas & expugnandas* quasdam coacervationes, undecunque tandem inductas aut productas: Quod ex adverso, hujus *Motus* subsidiis, feliciter assequi valet.

XIV.

Unde quidem, ut veritatem hujus *Usus*, & ejus partim *necessitatem* absolutam, partim *con.moditatem* respectivam, evidenter explicare possimus, libet breviter adhuc semel nominare, præcipua illa *Objecta*, circa quæ hinc *Usus* versatur, quæ sunt sequentia. (1) Quidem, fiunt ipsæ quoque partes *fibroso. porosæ solidæ*, ut prima *subjecta*, & ulteriora *instrumenta*, motus hujus, exercitio tali ipso, *habiliores & agiliores* ad ipsum eundem actum. (2) Nanciscuntur etiam inde verè majorem *firmitatem*; dum Natura instrumentis suis, quanto magis illis, *moderatè* tamen & quam maxime *völens*, utitur, tanto magis reverà tam *constructioni* eorum pleniori & undique absolutæ, quam præsentissimæ *reparationi* quorumcunque detrimentorum, ipso *Usus detritu* forte obtingentium, quam maximè invigilat & omninò operam navat. (3) Juvat etiam motus partium *voluntarius*, vera *communi* efficacia tanto faciliorem depulsionem & veluti repressionem *inquinamentorum* ipsis forte *solidis* fibris adhærescentium. Cum enim talia propriè ipsorum *humorum* transitus, partim *abstergere*, partim *auferre* atque adedò *abducere* debeat; juvat omninò, conspirans ita ipsarum etiam solidarum *connisus*, dum fluidarum quoque transitum *intendendo*, effectum ejus *abstersorium*, sui ipsius quasi *affrictorio* actu utique intendit. (4) Juvat omni modo *fluidarum* partium etiam ipsam mox *attenuationem* seu *fluxilitatem*; cum harum ad *coagulationem* prior consistentia, hoc per partes porosas transpulsu, etiam *involuntarii Tonici* impulsus ministerio, ordinariè & tanquam

quam in genere fiat: tantò magis adeoque etiam *extraordi-*
nariè & secundùm magis *specificas* circumstantias, *volun-*
tario hoc transpulsus *augmento* magis promoveatur. (5)
 Dum etiam *calorem* sanguinis, ut effectum transitus ejus-
 dem per porosas partes, promovere & insigniter augere
 potest; valet ita adversùs *Energiam frigiditatis*: non magis
 quatenus hoc idem *sensum*, sed etiam *humores* molestè affi-
 cit. (6) Juvat etiam actu feliciorum successuum *secretionum*
 variarum, nedum simplicium progressuum per loca minus
 patula. Cum enim omnis utique *secretio* plurimum juve-
 tur per modestam *pressionem*; ut ita sub tali *contentione*, te-
 nuiores partes à spissioribus velut *exprimantur*: Non pot-
 est utique aliter fieri, quàm ut moderatè *aucta* pressione,
 etiam augeatur *transpressio*, adeoque diversæ tenuitatis par-
 tium à spissioribus *separatio*. (7) ultimo tandem loco juvat,
 imò *auget*, motus localis partium *poroso-fibrosarum*, *rigi-*
diores maximè sui intensione, ipsam *dissolutionem* sanguinis
strictè dicti; seu, ut vulgò loquuntur, *colliquationem* in *se-*
rum: eoquè ipso consequenter, *consumtionem* seu *imminu-*
tionem totius *quantitatis*.

XV.

Secundùm hos respectus, quando utique, primo qua-
 si loco, consideratur *usus* ille, quem sanguis pro ipsa statim
 sui legitima *mobilitate*, nempe decente *fluxilitate*, à motus
 localis subsidiis adsequitur; elucescit certè statim hinc in-
 gens pretium, quod huic motui omni jure statuendum ve-
 nit, propter hanc efficaciam. Cum enim plus uno modo,
 imò certè non raris aut difficilibus occasionibus, *fluxilitas*
 prompta atque florida sanguinis, detrimentum incurrere
 possit; Ab hoc verò propius jam pendeat ingens, & magis
 magisque increbescens *periculum* graviorum læsionum, &
 nominatim promptarum *corruptionum*, nedum longè la-
 boriosiorum omnium *motuum* & *actuum vitalium*: Est sanè
 proinde etiam hæc ipsa efficacia hujus motus ad hunc effe-
 ctum

ctum non parvæ, sed sanè maximæ statim considerationis.

XVI.

Sanè verò, cum etiam simplicissimus aditus & occasio ad fluxilitatem necessariam sanguinis depravandam, passim, imo potius communissimè omnium, originem ducat à vitio voluntariarum actionum; nihil poterat justius esse, nisi ut à correctâ voluntate, illis etiam remedium & emendatio præstetur. Sicut enim mihi Respondenti, semper consideratu dignissima visa est, historia æquè connexa, atque simplex in disertis vocibus expressio, textus originalis Hebræi, circâ relationem corporis ad animam: ita nemini molestum fore spero, si hoc loco, uti mihi quidem apparet, non inconveniente, ejus mentionem faciam. Ponitur nempe Genes. II, 7. quod DEUS formaverit hominem è pulvere terræ; inspiraverit autem in nares ejus spiraculum vitarum: atque ita factus sit homo לנפש חיה animæ viventi. Dicitur hic expresse, quod ille fuerit homo, qui è pulvere terræ formatus sit; cui demum immissum sit ens vivum seu spiraculum vitarum: & ut ego quidem puto, simplicissima conclusione determinatur, quod ille homo factus sit animæ viventi. E quibus ita simplicibus, sed certe rem solidam loquentibus, verbis, nihil luculentius elucescere puto, quam, quod hic ita velut à priori indicetur illud ipsum, quod aliàs à posteriori certum atque firmum est, quod anima absolute opus habeat corpore, ad omnes illos actus, quoscunque nos per physico-morales conceptus, (citra directâ fidei objecta) illi convenire, imò ipsi essentielles esse, usquam comprehendere valemus: Adeoque rectissimè dicatur, quod homo, quantum, & quantus quantus è terra formatus est, nempe corporeus seu corpus humanum, factus sit animæ, ad ejus omninò actus suscipiendos, & usus seu scopos, ut instrumentum, exequendos. Sicut autem hæc etiam satis commodè sumi possunt de universis actionibus & principio illarum, quod illas in hoc corpore ita exercent; ita in nostro certe negotio, qualibet difficultate aut ambiguitate caret

res, de qua loquimur, nempe ortus difficultatis illius generis, ab ipso *voluntatis errore*, qui per *voluntatem* sibi melius constantem, ope motus *voluntarii*, emendationem assequi possit.

XVII.

Sicut enim *spissitudo* sanguinis, tanquam recto gradu procedere potest ab ejus impeditiore *successu* debito; hic autem impeditior *successus*, itidem ortum suum facillimè ducit à *copia* sanguinis nimia: Ita nulla certe neque promptior est, nec etiam familiarior causa hujus ipsius quoque talis *abundantiae* nimiae, quam, abundantior justò, nempe intemperans, *assumptio nutrimenti*, à *voluntaria* libidine saporis *estimationi* indulgente, proficiscens. Vel etiam, sub quantumcunque moderatiore quantitate alimentorum assumptorum, tamen pariter, sive à *propria* pigra *voluntate*, sive ab alieno arbitrio dependentes, ipsius *voluntarii* motus negligentia & inopia. Unde rectè omninò, quod voluntario *defectu* peccatum est, voluntario *actu*, non *debet* magis, *moraliter*, quam *potest* etiam, *physica* omninò ita insita aptitudine, reparari.

XVIII.

Et ita quidem, sicuti *tonico* motu Vitali non-voluntario, ordinarius ille *transitus* sanguinis, qualis & quantus ad progressum sanguinis simplicem sufficit; & per hunc *tenuitas* sanguinis tanquam generalissima, & ad qualemcunque fluxilitatem conferens, absolvitur atque perpetratur: ita inservit porrò *voluntarius* motus, non solum ad tantò *vegetiorem* hujusmodi effectus gradum præstandum atque conservandum: sed *specialissimè* etiam, adversus accidentales varias, e rerum *non-naturalium*, aut aliunde *adventitiarum*, efficacia, coortas alterationes: inservit inquam, imò necessarius etiam est passim, *voluntarii*, auctioris *transpressorii* & *conquassatorii*, motus interventus. Sic quidem, ut in se *tonicus* motus non expressè *voluntarius*, *voluntarii* utique fundamentum existit; Unde illo graviter deficiente, (in *Paralyfi*) aut aliorsum duplicata proportione converso (*pulsus* augmento, in *febris*),
de-

deficit eò ipso, aut *minuitur* eàdem proportione, *voluntarie* etiam motui sua energia: ita *subordinatur* rectè atque ordine, *voluntarius* motus, etiam in hoc Usu ad *vitalem* scopum, ipsi *tonico*, ut ubi ille non plane sufficit, hìc negotium absolvat.

XIX.

Non possumus autem quin juxta generaliore hanc, *necessitatem* potius quam simplicem *utilitatem* motus voluntarij, ad *propellendum*, *transpellendum*, & hoc ipso *attenuandum* sangvinem per universum corpus, etiam seorsim adhuc notemus *efficaciam* ejus, & *potentissimam*, & proinde *nobilissimam*, ad promovendum decentem *progressum* sangvinis per *hypochondria*: Nempe innumerabiles certè distributiones in largissimas minutissimas ramificationes, *Venæ portæ*, non solum simpliciter pro *refluo* ita sangvine suscipiendo; sed etiam pro eodem denuò *distribuendo*, & per latissimum certè ambitum, imò vero totam capacitatem *hepatis*, dimittendum, & quasi *propellendum*. Finxerunt, in hujus scopi subsidium, recentiores, *activitatem* quandam, à *tunica* illa spissiore, quam *Venæ* huic, quoad per *hepar* distribuitur, *adjoingi*, pariter & reverà *singuat*. Quemadmodum enim hæc *tunica*, nulla est alia, nisi eadem quæ strictissime ad *hepar* involvendum pertinet; eadem inquam illa, quæ totum etiam *hepar* exterius *involvitur* atque tegit: ita, ut potius simpliciter *meatus* illos, quibus *vasa* ipsum *hepar* perreptant, obtegat & ambiat: Eòque ipso *vasa* hæc verè, huic potius *tunicæ*, quam illa *his* *vasis*, *annexa* sint: Ita est certè hoc ipso consideratu tantò dignior, diversissima hæc ratio horum *vasorum*, per hos quasi *cuniculos*, perreptantium, ubi ita huic *tunicæ*, quinimò potius *hepati* ipsi, *adherent*; ut loco *fictæ* illius, & quidem planè *pulsoria*, *compressionis*, quam illa *tunica* his *vasis* præstare putatur, hæc potius *vasa* his *cavitatibus* ita firmiter affixa, hoc ipso *serventur* potius *perpetuo* ita *patula*, & plane *rotunda* sui *cavitate* vere *expansa*, & propriissimo vocabuli sensu *distenta*, ut dum non possunt ita *connivere*, seu in *capacitate* sua *ar-*

Arri, (quod in omnibus aliis corporis partibus, excepto quodantenus etiam *liene*, & in singulas respiraciones expansis per illud tempus *pulmonibus*, revera magis *contrario* modo sese habet,) progressus ille per hanc hujus Venæ portionem, ab *amplioribus ad arctiora*, tantò felicìus utique succedere possit.

XX.

Sicut autem loco fictitiorum horum *impulsuum*, (qui insuper ex altero erroneo commento fluunt, quasi *arteriæ*, *per se* & simpliciter *pulsarent*; *diastolen* inquam æque atque *systolen*, *propriam* haberent: crassissimo lapsu, contrà *expulsionem* sangvinis è corde, & *Synchronismum* *diastoles arteriarum* cum *systole cordis*: Ignorantia verò existentiae & efficaciae *motus tonici* partium omnium flexilium,) sicut, inquam, præstitisset potius crassissimam *impulsoriam* energiam *respirationis*, toties quoties contenta abdominis premendo, etiam hanc pressionem efficacissimè instruentis, attendere; quàm progressus ille sangvinis per ita, *patulos*, suâ quidem tunica *venosos*, sed *nexu* utique cum hepate summum renisum adversus distensionem liberam adeptos, meatus, non alio modo, quam vero quodam *pulsorio impulsu*, continuè celebretur. Jam, cum vix ulla *voluntarii* motus, quantulacunque etiam ferè, *intensio* in corpore suscipiatur, quin *respirationis* notabilis aliqua, peculiaris *contentio* illi veluti vestigia legat: Nedum, quod in fortioribus hujusmodi motibus, & tanto magis cum insigni utique aliqua *situs* corporis multiplicata *inclinazione* & *inflexione* susceptis, hæc agitatio, *abdominis* & consequenter omnium harum partium, *compressoria*, citrà controversiam, varia *energia*, & numerosis ita *incursis*, tanto magis vigeat atque fiat: Dilucescit hinc utique tanquam ad oculum, quanta inde sit efficacia motuum talium, ad hos ipsos maximè scopos, nempe liberum & expeditum *progressum* sangvinis per hæc loca *venæ portæ* egregie promovendum: imò qualemcunque *spisitudinem*, quam per hujusmodi motum, per solam ordinariam proportionem *respirationis*,

ad

ad concurrentes causas externas, minùs sufficientem, imò per ipsum debiti sufficientis *voluntarii* motus *neglectum*, contraxit, supplendum & refarciendum.

XXI.

Siquidem *voluntarii* tales motus, ad debitum sufficientem progressum hujus *hypochondriaci* sanguinis *motus*, ceteris paribus, & in corpore cetera *sano*, adeò utique absolutè *necessarii* existunt, ut reverà hominibus, quantumlibet exquisitissimè sanis, si verè otiosè sedentariæ vitæ rationi sese mancipent, certissimè hæc *hypochondriaca ἀταξία* successus sanguinis eveniat. Sicut ex adverso, verè *acrius-hypochondriacorum* ægrorum illud notissimum accidens, (quod etiam vulgus à pigro sanguinis successu deducens, *angustias præcordiorum*, cum *animi* angustis seu anxietatibus, æquè conferre atque connectere novit, atque *melancholicum* sanguinem medicis, pègrino vocaculo notatum, germana simplicitate, per *schwarz dick / schwarze Geblüte*: & *schwerblütig / schwermüthig* explicare noverunt. Ubi interim ita affectis, familiarissima libido *suspiria* ducendi, reverà directè ad efficacem *Usum* infervire agnosci potest; ut nempe vel in continuato deside vitæ genere, ad minimum per hanc respirationis intensioris *pressionem*, temporariam aliquam promotionem progressus sanguinis hypochondriaci assequantur: Unde certe tam *palpitationum cordis*, quam *suspiriosa*, una cum illâ, *respirationis* consideratio, secundum ita *utilem* efficaciam *finale*m, reliquæ hujusmodi constitutioni etiam *necessariam*, certe perpendi meretur.

XXII.

Quod autem illam *motus localis* energiam concernit, qua sanguis tali progressu *concalescit*; Nota utique est hujus effectus utilitas in arcendis, moderandis, & corrigendis *actuales refrigerationis* incommodis: quod quidem, licet etiam ipsi plebi solenniter notum sit, non assequitur tamen revera semper debitam sui existimationem apud ipsos doctos: quando spretis hujusmodi simplicioribus, sed & omnino certis at-

que veris subsidiis, licet non æque ipsum frigus, tamen *simpliciores* effectus *densationis* humorum, vel à *frigore*, vel his geminos, longinquis, & passim incertis artificiis tractare, seu potius *tentare*, malunt, quàm hæc veriora, & vere congenera, remedia, vel solum in subsidium decenter vocando, etiam reliquis suis consiliis hoc ipso melius consulere. Ubi nempe meritò prudenti considerationi commendamus, antiquorum illam loquendi formulam, qua *mucescentes* seu *simplicius spissescentes* humores, *frigidos* esse, seu à frigore hoc vitium habere, reputarunt: Nempè ita dispositos esse, ut à *frigore* affici & disponi solent: adeoque consequenter etiam similibus modis *corrigi* posse, ut illi à *frigore* ita male affecti.

XXIII.

Jam verò quod *Secretiones* attinet, sicuti præcipua ad illas perpetrandas prædispositio, omnino utique plurimum versatur in sufficiente tenuitate seu *fluxilitate* sanguinis: Ita actum ejus reliquum, quantum promoveat prudens regimen *localium motuum* vegetiorum, monstrant non solum etiam plura reliqua specimina, sed imprimis *duo* illa, reliquo ordine eò magis conspicua, quod veluti utrimque extremum complectantur, nempe *transpirationis* & *secum alvinarum* promotionis ad sui exitum. Siquidem, uti *motibus localibus* auctioribus, etiam *transpirationis* excretionem augeri, ne pueros quidem fugit, dum à motu *sudare* se sentiunt: ita adultiori etiam propemodum nemini incognitum est, quod nimium pigra *desidia*, etiam *alvi successus* certissime ad segnitiam insolitam deducatur: *Das man auch diejes versigen Sonne*: quod è contra minus contingit, si moderate agilior vitæ ratio fervetur. Habet autem omnino hæc circumstantia non postremam considerationem in ejusmodi affectuum difficultatibus, qui hujusmodi *subsidiis* efficacius juvari possent, quam *nudis* communius irritis *pharmaceuticis* remediis: Cum interim, si non solum utilitas, sed pas-
sim

sim verior *necessitas* hujus talis subsidii, juxta cum vera æstimatione, secundum sinceram experientiam, efficaciam ad tales effectus simplicioris *pharmaceuticæ*, sufficienter in considerationem veniret, posset reipsa nonnunquam etiam negotium ita instrui, ut superatis accidentalibus difficultatibus, motuum horum usui locus magis serio quæreretur; quam ita per hujus neglectum, inanem autem fiduciam in simplicem *pharmaciam*, familiarius denique universum effectum irritum experiri. Sicuti reverà collectim, universa hæc utilitas motus hujus, tam ad *præparandos, excretioni, imò separationi, separandos* ita humores, in considerationem decentem admissa, non potest non sese commendare ad solertiozem *Usum omnino practicum.*

XXIV.

Quod jam denique utimum illud sã nobis allegatum Usum attinet, aut ad minimum, in Oeconomia corporis simpliciter & *in se* considerata, simplicem *eventum* veluti magis, quam directum effectum, motus sanguinis *progressivi*, sed tanto magis *augmenti* ejus per motum *localem voluntarium* introducti; supponimus ante omnia, è sana physiologia, veram *historiam* transitus *sanguinis* in excrementitium *serum*. Ubi nempe evidens utique est, res ipsas sine vanis præjudiciis æstimantibus, quod *crasis sanguinis*, non sit ita *durabilis* ut *resolutioni* seu consumptioni constanter resistere valeret. Unde quidem non solum alimentorum perpetua est necessitas, qua sanguinis perpetuus *successivus defectus* refarciatur; sed quando etiam deficientibus reliquis subsidiis, tempore famelicæ insuperabilis inopiæ, omni *pinguedine* corporis, cum ipsa usque *medulla ossium*, (quæ certe non futilis est *Observatio Hildani*) ad restitutionem, sensim sensimque fatiscentis *sanguinis*, absumtã, tandem, *quantitas* sanguinis, ad ipsum *vitalem Usum* necessaria, decedit, mors tandem sequatur. Imò verò proventus ipse *ori*, tam *humidi*, quam *salsi* atque *biliosi*, etiam in ejus-

mo-

modi corporibus, quæ nullo victu, imò ne potu quidem alio, præter simplicem *aquam*, utuntur, (ut in ægris *pauperibus*, imò ipsis modo dictis fame tabescentibus,) testatur affatim, de ipsa illa sanguinis ejusmodi in *serum* conversione,

XXV.

Tantò magis autem confirmat hanc rem ipsa experientia à *posteriori*; dum homines æquè, ac ipsa animalia, quæcunque *laboriosis motibus* exercentur, à pastu suo, nequaquam etiam parco, tamen nullum *plethoræ*, nedùm *pinguedinis*, onus contrahunt; Imò si quod contraxisse apparet, per *injunctos laboriosiores* motus, facillimè illud deponunt & amittunt. Cum, ex adverso, imprimis v. g. *equi*, qui in perpetuo *otio*, *abundante pastu* fruuntur, manifestissimos *Plethoræ* effectus, ut de *pinguedine* nihil dicam, fortiantur. Revera verò verè *laboriosi* motus, sub *parca* de reliquo & minus proportionata diætâ, homines ita egregiè ad ipsum usque aspectum exhauriunt, ut umbris, quod ajunt, quam floridis corporibus propiores, de differentia illa *abundantiæ*, aut contra *defectus sanguinis*, à defectu proportionati nutrimenti, & consequenter *restitutionis sanguinis resolvendo deperditi*, vivum, quod ajunt, documentum præbeant.

XXVI.

Sicut autem hæc res ita à *posteriori* utique manifesta est, imò vel simplici nudæ experientiæ indubia: ita potest etiam haud difficulter comprehendi, tanquam à *priori*, quando non solum reliqua vera intima *mixtio* sanguinis, *strictè* dicti, perpenditur, sed etiam habitus ejus ad motum subtilem *intestinum*: tam simpliciter *attritorium* atque *collisorium*, quàm præcipue *calidum*, imò *calorificum* seu *incallescentem*. Cum enim sanguis è substantia *sulphureo-mucido-terrea*, id est *pingui*, *humida*, & subtili *terrea*, cohæreat; *pinguedinis* autem cum *humiditate* aquosâ, nexus, nunquam

quam, (excepta longè tenerrima crasi *pinguedinis*) *firmus* satis aut *fidus* existat: tantò magis autem, consortium largissimum etiam *extraneæ* superabundantis *aquosæ* humiditatis, dissidium tale eò promptius reddat, & quasi revera incitet: Non potest hinc, ex omnium circumstantiarum concursu, aliter fieri, quam ut *pinguedo*, cum *terra*, per concurrentem *aquositatem*, minimè tenaciter cohærens, tam copiosioris *extraneæ aquositatis* externo incurfu, quam ipsam (*pinguedinem*) magis directè & velut intime afficientis, calidi motus incurfu & *intimiorè actu*, sensim sensimque concutiendo, tandem denique ad ipsam *divulsionem* perducatur. Ubi, cum motus localis *fibroso-porosarum* partium, non solum *pressionis* vehementia, sed etiam, ipsarum fibrarum *rigore*, hunc, imprimis *caloris* ipsius, *intestinum* motum, efficacissimè intendat & exacuet, facilè est intelligere nexum efficacix ejus ad ipsum hunc effectum concurrentis.

XXVII.

Hæc cum ita se habeant, talis, inquam sit usus, & tam multiplex, ipsius *motus localis*; Fluet inde facile, & tanquam ipsa sua spontè, habitus ejusdem ad *Medicam* considerationem, quæ nempè perpetuò ad *USUS* respicit, tam pro *conservandâ*, quam *restaurandâ* bona valetudine. Ubi tamen ne vel nimium nos diffundamus, nuda *generalissima* indicatione, vel nimium laboris suscipiamus, nimis *speciali* ad singularia applicatione: servabimus illum solum, imò quantum fieri poterit, succinctè etiam prosequemur, ordinem, ut secundum præcipua illa *USUUM* genera, etiam eximia quædam specimina affectuum talium indicemus, quibus illi *Usus*, tam sanâ Theoriâ, quam dextra Praxi, rectè quadrent atque satisfaciant: è quibus deinde etiam ad alios minoris ponderis affectus & effectus, ulterior applicatio tanto commodius, privato cujuslibet studio & arbitrio, extendi possit. Facimus itaque meritò, primo statim loco, men-

tionem illius *Usus* motuum voluntariorum, *conservatorii*, quem ille tam *robori* & *habilitati* quam flexilitati seu *agilitati*, ipsarum *solidarum* partium qua talium, præstat. Ubi mox duæ illæ præstò sunt, eximiæ utique utilitates; (1) *roboris* atque *firmitatis* majoris conciliandæ; (2) *rigoris*, quasi stupidi & inepti, averruncandi. Ne quid enim dicamus, aut sanè prolixi non simus, de maximæ dignitatis illo, si sapientes, & verè audientes, nempè dicto auscultantes, inveniret auditores, consilio, ut *adolescencia* imprimis, honestè *laboriosâ* vitæ ratione, ad veram corporis *firmitatem*, & *vegetum robur*, instrueretur, & verè duraretur: Notissima certè est interim altera illa *mollities*, cui certè satis sæpè medicus, (non inter *rusticos* aut *opifices*, vulgò sanos, praxin frustra expectans: sed inter *molles honoratiores*, illam abunde inveniens,) si non æquè promptè persuadere valet, at suadere certe subinde potest atque debet, audaciam illam, ut *audeant*, de se benè sperare, & *experiundo* vires suas ad ipsum motum, *usum* ejus ad vires motorias *resuscitandas* verè experiri. Iterum dico, quod hæc res certe minime rarum neque vero etiam levem aut postremum usum, in quotidiana praxi passim inveniat. Dum imprimis *molliores*, aut *commoditati* suæ multum tribuentes, dum etiam induci non possunt, ut *virium* corporis sui periculum modestè facientes, & *Oeconomie* motuum *vitalium*, & securitati majori ipsius *animi*, ita quasi propius consulant, *desidia* illa inerti longè segniùs atque tardiùs ad veram alacritatem revertuntur quam certissimè, imò *promptissime* fit, ubi harum rerum ratio, cum debito moderamine atque prudentia, decenter habetur. Sicuti ex adverso Practicum inter talis characteris patientes occupatum, subinde denuò exercet illa *anti-Praxis*, ut, quando semel difficulter persuasi, tentando ita vires suas, alacriorem inde constitutionem perfenscunt, mox inde in alterum *extremum* prolapsi, inconsiderato *abusu*, etiam *incommoda* sibi denuò accersant. Unde

certè tam ipsius hujus *consilii* dextra atque tempeſtiva inſinuatio, quam *moderaminis* ejus etiam debiti obſervatio, & ut loquuntur, *manutenentia*, habet fanè ſubinde in Praxi, ad *recuperandas* æquè alacriùs, atque decenter *conſervandas* vires, majorem Uſum, quam vulgò in conſiderationem venire, adeoquè vel *ſuaderi* ſolet, vel in effectum deduci. Quod proinde aliter æſtimandum commendamus: Nempe, ut ipſo prudentiſſimo moderamine regendum ipſum motus Uſum, tam pro *viribus* motoriis excitandis, quam pro *partibus* ipſo exercitio firmandis, cordi habeat Therapia.

X XVIII.

Ex adverſo verò, rei ipſa minimè poſtremum locum, ſive propria ſui dignitate, ſive reliqua etiam varia connexione, habet illa uſurpandi motus indicatio, quando per actua-
lem *deſidiam*, corpus *rigidum* & quaſi *ſtupidum*, verum illum ſenſum hinc incurrit, quem *Galli* ſatis appoſitè vocabulo *Pefanteur*, *ponderis* & *oneris*, innuunt. Eſt autem ſecundum rei veritatem, *obrigeſcens* ejusmodi veluti *denſatio* ſeu qualiscunque *induratio*, partium aliàs *flexilium* ſeu flexili motui utique debitarum, à quâ illæ actui motus poſt hac *renitentes*, ſenſum talem quaſi *ponderis* ſeu *antiſacomatis* efficiunt. Quo certè in genere, uti notiſſima vulgò, ita tantò magis etiam ad prudentem Uſum notabilis, eſt ſenſatio illa, quæ ſegnibus & *ſedentario otio* aliàs deditis, obtingit, quando ad qualescunque paulò vegetiores motus corporis admoventur: ut nempè poſtero die uno, imò altero, ſenſum quaſi *contuſionis* in membris percipiant. Certe vix credere poſſe ſatis certò auguror Præſes, qui delicatioris moris patientes rarius aut nunquam præ manibus habuerunt, quid incommodi hoc non ſolum adferat *Praxeos* juſtæ proſecutioni, ſed omninò ſi debita abſit circumſpectio, ipſi plane *Theorie*. Illud, dum hoc incommodo à motu ſuſcepto mulctati tales patientes, (tanto certiore, ſi vel conſilio, vel ipſo ejus exercitio, modus decens ſervatus non ſit)

nullis facile persuasionibus denuo ad repetendum, imo potius decenter prosequendum, pro vero sui Usu, similem motum denuo induci possunt. Alterum *Theoriæ* inquam, scandalum, ut nisi Medicus harum rerum prudentissimum atque dexterrimum iudicium formet, non solum ipsi Patientes sibi, sed omninò Medico passim persuadeant, summam totius suæ ægritudinis denuò *recruduisse*, imò omnia in pejus labi, (*animi sæpenumerò inde orientium pathematum* vera dehinc pejore Energia;) cum totus hic tumultus simplicissimè innitatur, (si rectè æstimaretur, certè ridiculæ,) huic molestiæ *fatigatoriæ*, cum sensu illo quasi *contusorio*: Qui nempe etiam quàm maximè *sanis* otiosis, ab insolito corporis motu paulò vegetiore, inevitabili successu familiaris, nihilominùs in tali constitutione undecunque antea ægriorum subjectorum, immanes *trepidationes*, & certè passim summos *timores*, evocat: Da sind sie aufs neue so krank / so schwach / ist ihnen so wehe / daß wenn der Doctor auch mit flasset / sie billig beyde zu beklagen sind. Interim profectò etiam tales res, si Medicum *speculabundum* offendant, passim denuò toti Panoplæ *Alexipharmacorum* (contra *malignitatem* è repentino virium lapsu, citrà causam *manifestam*, nempe illorum querimoniæ *proportionatam*) *nervinorum; excitativorum, cor, & quid non? roborantium, balsamicorum, discutientium, expellentium, sedativorum, & preservativorum* &c. tanquam classicum canunt.

XXIX.

Sicut autem hâc intentione, *usus* hic *voluntarii* localis *motus*, prudenter instituti, etiam ad varias alias pigras *lassitudines*, aut partium per longam desidiâ velut *obrigescentium, flexilitatem* restituendam, commode applicari potest; Ita minime dissimulamus, quod etiam in longè *gravioribus*, à vera motus *Voluntarii impotentia* pendentibus, (nisi quidem verius à *destitutione* quadam & *aversione*, illam partem motu afficiendi,) motus localis *Usus* minime contemnendum fore

fore reputemus. Loquimur autem de *Paralyfi*; & verò sumus omninò in illa sententia, præstare, ut *artis* arbitrio, partibus ita immobilibus, frequentior, quàm libet prudenter moderatus, *motus* adhibeatur, quam ut illæ ita in perpetua segni quiete relinquuntur: Unde nempè vel aliorum ministerio, sæpè flectere atque agitare ejusmodi partes (incipiendo semper moderatissimè, propter distributionem humorum,) profuturum esse confidimus. Et sanè inducit nos ad hanc considerationem, præter ipsius rectæ rationis velut à priori *probabilitatem*, etiam illius experientiæ assertum, quâ efficacia *unguinoforum quorundam* v. gr. unguenti *de catulo rubro*, quam maximè commendabilis habetur: (quamlibet talia reverà plus conferant ad *impotentias, rigores, ariduras, à violentiis externis* coortas, quam veras *Paralyfes tacite* cœptas, & repentè enatas) nempè ut *forti* admodum cum *frictione* applicentur: Ubi certè verisimile est, quod non solum hæc circumstantia rectè observata, multam partem habeat, ubicunq; optatus successus & effectus à tali remedio subsequitur & impetratur: sed etiam ex adverso, quod ubi alibi effectus idem voto non respondeat, culpa non postrema sit hujus *modi applicandi* inadvertentia.

XXX.

Secundus ille Usus, abstersionem etiam ab ipsis partibus *solidis* aliquando, necessariam perpetrandi, potest meritò simul complecti *depulsionem* materiarum, intrà *poros* partium solidarum obhærescentium. Quæ res, licet fortè videri possit plus ad *secretionem* simpliciter pertinere; quia tamen *secretio*, magis propriè de *secessione* è latifundio *humorum*, per meatus partium colatoriarum, regulariter denotare solet; ex adverso verò hæc res, de qua diximus, verè magis *secretionem solidescantium* quasi, ex ipsis maximè *solidarum* meatibus, concernit, non immeritò illam hoc ipso loco ponendam arbitramur.

XXXI.

Sicut autem ad omnes *species* hujus generis, exquisitè excurrere, nec intentio nostra, nec imprimis temporis ratio, aut speciminum hujusmodi publicorum decentes limites, ferunt, nedum ut exigent; ita sistemus tamen hujus rei documentum in consideratu secundùm omnes circumstantias tanto digniore specimine *duplici*: Uno quidem summæ considerationis atque ponderis: *alterum* contra dignitate reliquæ æstimationis propemodum joculari, sed decenti consideratione haud multò minus dignū ferè reputandum. Præmittemus hoc, quia non magis breve, quàm generali intuitu leve, est. *Vulnera*, imprimis cum qualicunque *laceratione* facta, quàm facilè *cicatricem* relinquunt, ad minimum per aliquod temporis spatium, aliquando vero etiam, & imprimis per hujus circumstantiæ plenioris defectum, perpetuo persistentem, omnibus hominibus facilè notum esse potest. Interim *pollicis* imprimis *interiori crassiori apicis* parti, imò etiam aliis digitis *interna* sui parte, quin totius *volæ* manuum, incussa *vulnera*, *ulcera*, *ambustiones*, &c. obliterantur verè maturè, imò promptissimè rursus, & assequuntur iterum plenam sui justam totius *texturæ* debitæ, & *conformationis* integritatem, sine ullius cicatricis vestigio: id quod in partibus *locali* tali vegetiori motui non obsequentibus aut addictis, nequaquam ita sese gerit. Nolumus tamen in prolixiore hujus generis theoria latiùs occupari, sed commendamus tantùm unicuique secundum propriam sententiam harum rerum explicationem, illud unum solùm adstruentes, quod præcipua fundamentalis Energia hic sit *ipsius motus localis voluntarii*.

XXXII.

Alterum exemplar, ut in se quidem omninò utique dignissimum, ita dolendum est, quod secundum præcipuam sui veluti evidentiam atque certitudinem, plus propemodum adhuc debeat *autoritati*, quam simpliciter notoriæ &
 apud

apud omnes confectæ *experientiæ* testimonio & consensui: Est hoc energia illa ad affectus, omnium difficillimos solum sublevationi qualicunque seu consolationi, nedum curationi; quibus tamen hoc æquè certò, non *prodesse* solum, sed plane *mederi*, adseverat Autor nec *experientiæ* neque *fidei* laude incelebris, atque *Chin-china* medeatur *Febris tertianis*: quæ certè expressio tanto fortior est, quantò plus *fidei* atque *fiduciæ* hinc *cortex* hodie propemodum in universo orbe medico tuetur. Loquimur de *Equitationis* imprimis, tum etiam *Vecturæ*, energia, ad *hecticam*, aut plane *phthisin*; hoc nomine & hâc expressione à *Sydenhamio* laudatam: sicuti plura ad hanc rem conspirantia ex ipsa *antiquitate* allegata sunt à D. D. Præsidi, in *Programmate* de *novò remedio antiphthisico, equitatione*. Quâ de re tamen, uti pariter justò prolixioribus esse neque licet propemodum, neque placet; ita posset tamen fortasse optimo jure allegari insignis speciminis loco, constitutio gloriosi cujusdam Herois, qui sub infirmissima sua *phthisico-hectica* constitutione vehementiâ tamen *equitationis venatoriæ*, non solum vitam, sed etiam valetudinem toleravit, imò sufficientem *alacritatem*, non solum ad *negotia*, sed ipsas usque *expeditiones bellicas* suscitavit, donec infortunato casu cum equo, atque actuali gravi læsione, infelicio eventus successit. Ubi, licet *curatio* plena minime secuta sit, non tamen vel neganda vel negligenda, *Euphoria* in hoc genere ingens, & ab aliis adminiculis insolita. Unde quidem hujus *specialissimi* etiam *Ufus* adhuc magis excolendam efficaciam, meritò decenti industria commendamus.

XXXIII.

Neque verò aut minus nota est à *posteriori*, aut conceptu à *priori* magis difficilis, energia illa, cujus solum *animadversionem*, atque hinc etiam *administrationem* debitam fortè novum sit positivè commendavisse; imò exegisse, *motus localis voluntarii*, pro minus infelici usu ipsius modo

do

do nominatæ *Chin-chinæ*. Certè inter exempla fatalis, aude-
 demus dicere cæcitatæ, trivialis Practicæ Medicinæ, eximi-
 um locum tueri potest, *prætervisio*, quid à *promiscuo usu*
Chin-chinæ, non solum varii, sed passim summe fontici,
novorum, gravium, pertinacissimorum, imò vel post ali-
 quam moram *irreparabilium* malorum successuum pericu-
 li, passim partim stipet partim subsequatur. Res ipsa au-
 tem, si quantumcunque etiam advertatur animus, quamplur-
 rimum planè debet *duplici* illi circumstantiæ; primo quan-
 do hic Cortex, patientibus exhibetur, minùs tempestivè;
 ubi *materiales* morbi causæ nondum sublatae sint: *secundò*,
 quando citra hujus circumstantiæ, hujus inquam *regiminis*,
subordinationem, adhibetur; ut inquam patientes vel non
 possint, vel non soleant, aut eò Medici præscripto non im-
 pellantur, *motus locales voluntarios*, prudente moderami-
 ne in subsidium exercere. Unde quidem, in quibus ægris
 ad hujus *corticis* usum devolutis, illa circumstantia præstò
 est, ut *agiliore*, imò *laboriosiore* vitæ genere utantur; illis
 commodè cedit hujus usus: quibus autem contraria obtin-
 git dispositio aut observatio hujus subsidii, illis non solum
incommodè, sed passim etiam *malè*, cedit negotium.

XXXIV.

Ejusdem autem ordinis est omninò jam pridem notis-
 sima illa Therapia per usum *acidularum*; nisi quod passim
 vera dignitas hujus *circumstantiæ* minime pro suo merito &
 vero pondere, *positivè* æstimatur non solum, sed omninò
 non planè demandatur & injungitur: ut, inquam, non so-
 lum *utilitas* ejus, sed vera potius *necessitas*, pro bonò effe-
 ctu non solum obtinendo, sed etiam *malo eventu evitando*,
 serio inculcaretur. Est nempe hæc utique in ore totius po-
 puli, *utilitas* motuum seu exercitationum sub usu *acidula-
 rum*; ut præcipuam *promptitudinem* æquè atque *magnitu-
 dinem* optati effectus, *alacriori* motuum exercitio adsignent.
 Vix autem promiscue omnibus Medicis persuaderi potest,
 nedum

nedum ut monendum, quin injungendum, videatur, quod hæc energia ita sit *necessaria*, ut *omissio* ejus etiam *positivè nocere*, non, inquam, solum effectum irritum, sed planè *sinistrum*, post se trahere, valeat.

XXXV.

Abolvitur autem sine dubio simpliciter magis, *adstrictoria* Energiæ, quam ejusmodi remedia in *tonicam* subtilem partium fibrosarum strictionem concitant, tali per voluntariam agitationem *alteratione* atque *moderatione*, ut illæ quidem impressionem illam *strictoriam* (imprimis *internæ*,) non amittant: interim *humores* alacrius *impulsi* atque *transpulsi*, ab omni impeditiore successu sub illa *densatione meatuum*, ita vindicentur: quin potius hæc ipsa actuali vegetiore *pressione*, *impresione*, atque *transpressione*, per ita magis *firmatos* meatuum ductus, eo magis assequantur non solum sui *atritorium*, sed etiam *abstersorium* effectum.

XXXVI.

De usu motus voluntarii localis ad *attenuationem* sanguinis, per hujus auctiorem & fortiorem, tam *localem* quam *intestinum*, collisorium & atritorium motum, cum partim è *Physiologicis* constare possit, partim etiam jam superius ejus rei mentionem fecerimus, sufficere potest præsentem loco, ut usus hujus veram *applicationem* propiùs designemus. Habet ille videlicet præcipuum locum in *sanguinis spissitudine* valde familiari, tam *sedentariæ* vitæ nimium indulgentibus, quam sub largiore ciborum assumptione nimis *parum bibentibus*: imò etiam, ad sensus molestam perceptionem, justo *frigidiore* loco habitantibus: aut specialissimè, *crassioris succi* cibus indulgentibus. Unde quidem reverà ipsa hæc talis motuum institutio, ab omnibus prudentibus Practicis maxime commendari solet, *hypochondriacis* & *splenetis*, imò quibuslibet, in quibus hujusmodi *spissitudo* insignis, vel suspecta est, vel etiam ex evidentioribus documentis planè certior. Habet autem certe utique etiam

quolibet modo certiozem energiam, quam ulla *medicamenta*, imprimis *sine* hujus motus debito *concurſu* adhibita; dum efficacia illa quæ *medicamentis* ita vulgò tribuitur, imprimis per *Salia volatilia*, reverà tota eſt exquisitiſſime ἀμύχανον, utpotè contra craſſiſſimum offendiculum, omnis *proportionis* defectum, graviffime impingens: Sicut *diaphoretica*, temerè concitando: *abſorbentia* longe certius atque verius *incrassando*: alia verò *colliquatorio* veluti effectui vulgo aſſignata, vel in ipſa hujus veritate *deſcendendo*, vel alieniſſimas alias *commotiones* poſt ſe trahendo, nuſquam vel ſatis profunt, aut ſpei de illis conceptæ ſatiſfaciunt: aut ſubinde vel ſaltem ſine damno, licentius data, decedunt. Cum ex adverſo *motus* hi & poſſint ſatis commode ad juſtum temperamentum reſtringi, & habeant ſub hoc etiam efficaciam certiffimam, & proſus omninò optimam: Sint autem eò ipſo reverà velut *in poteſtate*, ut videlicet ſecundum prudens arbitrium, in quantitate ita temperari poſſint, uti tam quantitas *Objecti* poſtulare, quam etiam *virium* ratio permittere videtur. Ubi adhuc inſuper illa ſumma eſt hujus mediæ ad hos effectus prærogativa, ut cum qualicumque *moderamine* adminiſtratum, nunquam nimium facere poſſit effectum; ſed ſemper amiciffimum potius ſit naturæ, quàm ullo modo inimicum, imò vel minus ſolum acceptum: Quod, citra nudas ſpeculationes, è ſolida experientiâ Practicâ, de ullis *medicamentis*, ad ipſum veritatis teſtimonium & ſuffragium, minime aſſeverare licet.

XXXVII.

Quemadmodum autem ita, etiam cujuſlibet majoris *ſpiſſitudinis* ſanguinis, promptior atque verior *attenuatio* per ſubſidium *motus localis*, facilè ut puto comprehendere poſteſt; ita meretur etiam in hoc cenſu numerari intemperies illa ſanguinis, quæ vulgò *ſcorbutica* dicta, tam à priori quàm poſteriori, multum debet motus hujus partim *deſectui*, partim *effectui*. Illud, dum *deſidia* inertis, ſub *victu* prætereà

crasso, & *aëris humidi*, & intemperanti *caloris & frigoris* alternatione vario, *Scorbutus* ille famosus usitatisimè contrahitur. Fit hoc nempe quam maxime in *navigationibus*; Non tam solum *borealibus*, uti propemodum vulgatisima usitatae, nudis speculationibus indulgentis, Theoriæ traditio fert: sed omninò etiam in *australibus*, uti non solum itineraria, sed vivi testes, affatim indicant: Dum nempe non tam solum *frigoris* illa *densatoria* Energia, quàm *desidis* etiam vitæ rationis inertia, ita hîc conspirant, ut satis perspectum sit ipsis fociis navalibus, quod quicumque muniis qualibuscunque nauticis, & imprimis *anthliæ* exercendæ, vacare non dubitant, ab hoc incommodo facilè liberi maneant. Interim confert utique etiam à *posteriori* hæc res longè plurimum, ad corrigendam etiam iterum intemperiem illam, ab hujusmodi qualibuscunque tandem fociis causis, earumque subordinationibus, contractam: ut, inquam, undecunque tandem natus *Scorbutus*, bono regimine *motuum voluntariorum*, efficacius corrigatur, quam quibuslibet *medicamentis* (exceptâ tamen jam contracta *actuali* corruptela ulteriori, v. g. *Gingivarum ulceratione*, imò etiam aliarum partium, &c.) Quæ res etiam illam habet insignem utique considerationem practicam, ut quôvis modo meminerit Medicus, subsidium *localium motuum*, cum qualicumque alia medicatione, quantum usquam fieri potest, *conjunctum*, non plurimum solum conferre, sed veriùs loquendo, plus omninò *prestare*, pro felici eventu, quam omnem alium speciosum apparatus: Sicuti etiam aliàs velut absolutè, quàm simplicissima remedia, huic affectui optima sentiuntur.

XXXVIII.

Neque vero etiam de *secretionibus & excretionibus* per hos motus promovendis, prolixius agere usquam necessarium judicamus; Bene verò *duo* solum in hoc genere monita suppeditare, nempe, (1) ut illi, qui à valdè *mobili vite genere*, sub quo tum totius corporis, tum nominatim *pe-*

dum, sudationibus adfueverunt, recedunt, prudenter circumspiciant, ne *simul & semel* ad segne penitus otium transeuntes, incommoda inde reportent non exigua. (2) ne quisquam *regimen simpliciter sudatorium*, per fortiores motus corporis benè absolvi sibi concipiat: cum *sudor* qua talis, & *Medico* maximè sensu, decenter temperatus, nempe tam *quantitate*, quæ effluit, quàm *impulsu* fluendi ad bonum effectum commensuratus, non alii magis rei, quam eximix *moderationi* rectè obsequatur: Sicut antè omnia exemplum ejus rei quàm maximè elucescit in *acutis* affectibus; ubi sub maxima *commotione* humorum locali, adeoque ipso maxime Paroxysmo *caloris*, imò *æstus*, nullus unquam expectandus est, *utilis* imprimis & votis respondens, *sudor*; sed unicè, quando impetus hujus motus *intepescit*: & imprimis hoc tempore ipse *patientis* simul, quantam potest *quietam continentiam* servat. Unde etiam alias motus voluntarii ad *sudorem*, unicè optimi sunt, *moderatisimi*; nempe ad *madorem* potius blandum, sed tantò *diutius*, evocandum inservientes, quàm ullo *brevi & simultaneo* impetu, plus *commoventes* quam *promoventes*. Quorum nempe omnino referendus est verus sensus etiam *oneris* ejus, quod divinitus homini impositum, è sacris novimus, *in sudore faciei suæ edendi panem suum!* Certè non de frivolo *impetu*, sudorem evocaturus, loquens; sed de *assiduitate* laboriosa: utique sub *cultu sterilioris terræ*, qui etiam ex ipsâ rei naturâ, *impetu* non bene absolvitur. Ceterum *Medicus sudor* semper intelligendus est, *commotione placidus*, *exitu* etiam inde non tam æquè simpliciter *fluidus*, quam magis *halituosus*; Propterea tamen nequaquam etiam omnimodè *parcus*, sed omnino *sufficientem* quantitatem, *longitudine sufficientis continuationis*, explens.

XXXIX.

Tantò magis autem quadrant ea, quæ præcedente §. 36. de *attenuatoria* efficaciâ motuum *voluntariorum* diximus, ipsi etiam negotio plenæ *resolutionis* sanguinis *colliquatorix*.

Quâ

Quâ in re, certe ingens fundamentum veræ *Theoriæ pathologico-therapeuticae* positum existit; quod tamen in vulgari-
 bus opinionibus alibi deficit, alibi positivis negationibus sub-
 ruitur & evertitur, nusquam autem propemodum *connecten-*
do, inanibus contradictionibus ita implicatur, ut alibi negan-
 do, alibi verè ex improvviso iterum supponendo, usitatam illam,
 semper contrarium volendi, & adeo etiam à seipso diffidendi,
 intemperantiam quidem sustentat, interim omnem usum do-
 ctrinæ perpetuo subvertit. Consistit autem hæc vera ratio
 horum usuum, imò antè omnia effectuum, in eo, quod (1) *San-*
guis strictè dictus, (nempe utique distingvendus, ab intempe-
 stivâ illa & ab omni simplicissimo sano intellectu alienissima
 confusione, cum *massa humorum* in genere, seu *arterioso* at-
 que *venoso* cramate, *seroso-lymphatico-sanguineæ* miscelæ,
 non *Physico*, sed *rustico* sensu sumptæ, non inquam *mixtionis*,
 sed solius confusæ qualiscunque *interagitationis* produ-
 cto) Quod, inquam, hic *Sanguis* in ipsâ suâ *Mixtione* sensim
dissolvatur. (2) hæc *dissolutio* ipsius *mixtionis* sanguinis, in
excrementitium serum, fiat utique per *motum* sanguinis *pro-*
gressivum fundamentaliter; utpote verum magistrum *motus*
intestini ordinarii, tam simplicis quam etiam intendendi:
 (3) hujus autem *progressivi* motus sanguinis, & imprimis ad
 motûs *intestini* insignis incrementum *intendendi*, Magistrum
 esse motum *musculoſo-porosoſarum* partium *voluntarium*, faci-
 lè sit agnoscere. (4) *artificiale* autem subsidium nullum
 unum suppetere, quo hæc *dissolutio* sanguinis in serum, *pra-*
cticè veraciter, citrà nudam gratuitam fictionem, effectum omni-
 cassam, præstari possit: (5) sed verè nullum aliud huic fini sup-
 petat præsidium præter solam *emissionem sinceram*: (6) nam
methodus dietetica, per *famem*, in illis quibus hoc consilium
 quàm maxime conveniret, *politice* impossibilis communiter
 existit: (7) existente interim verâ & reali, communissimâ ta-
 li constitutione, quæ *abundantiam* sanguinis pro præcipuo
 sui fundamento *materiali* & fomite habens, nullâ aliâ verâ

arte, nedum hujusmodi *methodis* commodiore, corrigi potest: benè verò longè facilius per incondita talia *artificia* in multo deterius conjici.

XL.

Secundum has considerationes dilucescit utique facile, quid sentiendum sit de *USU motus hujus localis voluntarii*, etiam ad hunc effectum. Simul autem non indiget æque singulari speculatione *modus* etiam, seu *proportio* hujus motus, ad hunc effectum exequendum. Dum utique etiam simplici rationi obvium est, quod hujusmodi scopo equidem plurimum serviturus sit *fortior* motus, ad tolerantiam: simul verò etiam necessariò, non *brevi impetu* absolvendus, sed secundum mutuos respectus *tolerantiæ*, *continuandus*, imò *repetendus*. Tantò magis autem facile hinc comprehendi potest contrarium, quomodo nempe *neglectu* alacris motus, usu interim omninò alacri alimentorum, oneratio illa *superflue quantitatis* sanguinis, & per hanc *prægravatio virium* sanguinis *motricium*, *minor libertas* justî progressus, & hinc tum major *spissitudo* sanguinis, tum *secretionum & excretionum* impeditior successus, nihil dubiis successibus consequi possint. Adeò ut huic rei *duo* veluti theoremata commodè applicare liceat; Nempe (1) rationem etiam ita *physicam*, contentientem edicto illo *Paulino*: *Qui non laborat, ne etiam edat*: (2) observationem illam, nulla proluxa speculatione sed nudè ut historica collectione, innumerabilibus exemplis confirmandam: quod quidem illa maxima hominum pars, quæ *laboriosis* motibus, *ordinatis*, addicta est, longè *paucissimis & rarissimis aegritudinibus* subjaceat: *Otiosa* verò, & quidem *pigra* atque *deses*, *ægra* maximè sit.

XLI.

Supereft, ut de *regimine* motus hujusmodi, quo ad hos usus instrui possit, adhuc aliqua determinemus. Uti verè *ars* minimè usquam impingit, quando *Naturam* pressis vestigiis sequitur; ita certè etiam in his negotiis, *mediocritatem*, &

moderatos in agendo successus, non debet solum sequi & imitari, sed non potest omnino, sine certiore damno, negligere.

XLII.

Unde etiam motuum *voluntariorum* usus, quanto magis *temperans, modestus, tranquillus, ordinatus*, (compensante *longitudine* illud, quod impetu tentare non licet,) eò certius utilisimus sit. Cum utique immoderatiore harum rerum exercitio facile damnum ipsum inducat, nedum ut eo ita nullus usus præstari possit. Deinde meretur tantò magis observari *moderamen* illud, ut motus tales, præsertim minimè *assuetis*, injungantur etiam *positivè*, cum maximà modestia *inchoandi*, & providis *augmentis* magis magisque intendendi, toties quoties suscipiuntur: Cum in hac re indies impingatur; ut *simul & semel* immodestè exagitato corpore, dum *angustie, æstus, fatigatio, & succedentes* uno vel altero die etiam durabiliores, quasi *contusorii dolores* certò succedunt: perturbentur inde tantò magis ejusmodi patientes, ut damna potius sibi evenisse, quam ullum usum eventurum, pro certo habeant. Ita etiam commodi *temporis, tempestatis, oppletionis* aut *inanitionis*, aliarum consuetarum aut debitarum *evacuationum*, omnino hîc habenda est ratio. Circà *modum* autem *specialiorem, deambulatio* in plano, gressus *ascensorius* per acclive, *cursus moderatus; torni* usus, *ferræ* reciprocatio, *lignorum fissio*: antiquorum summorum virorum (*Quintii & Attilii Reguli* exemplo,) *agri cultura* propria manuali opera, durandis corporis & animi viribus, exercita: ad minimum autem *equitatio, vectura*, qui possunt commodè, sed non simpliciter ut *commoditate*, uti: imò ipsa denique *navigatio*, de cujus commodis, in climate temperatiore, legenda est omni modo citato jam programme *de novo remedio anti-phthisico, equitatione*, allegata commendatio *Celsi libr. III. c. 22.* ubi de *phthisi* agens, *navigationem* in hujus remedium laudans, peculiariter addit: *Si vera Phthisis est, longa navi-*

gatione opus est, ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur: quod Plinius disertis verbis explicat, *libr. XXXI. c. 6.* inquit: *Ægyptus non propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi &c.* quæ pluribus dictum Programma exequitur. Consentit autem imprimis quàm maximè *Sydenham* jam supra laudatus, quando, qui *vehementer admodum tussunt*, hos maximè *diutius & longius equitationem* profequi jubet: Ubi utique *tolerantiæ* prudenter habenda est ratio, ut omnia instruantur, prout successivè *vires* ferunt. Ceterum & *equitatio* ad *tolerantiam succussatoria*, & *vectura* minime simpliciter *commodissima*, sed ipsa etiam *concussoria* moderate, *commodissimis* aliis præferendæ sunt. Verbo, non adeo simplex omninò est hæc etiam res, quin *prudentiam* postulet, ad *commodè* regendum, ne quid nimis & *intempestive*; sed omnino etiam ne quid frustra, *moliter*, & *inani* magis *simulacro*, quàm *decente* *efficacia*, fiat, adeoque etiam *justum effectum* deinde *destituens*, *usui* *justo* atque *vero* *detrahat*: quem solum, & *seriò* *commendamus*.

S. D. G.

